

Tertio, ob immensam suam in nos charitatem; vidit enim in nobis aliquam sui similitudinem, et quo eam posset vivis gratiæ et virtutum coloribus, illustrare gratiosamque reddere; idcirco nostri amore captus emit nos tam caro; quod indicat apostolus scribens ad Gal. II. *Qui dilexit me tradidit semetipsum pro me.* O amor admirabilis, quomodo te explicabimus? Videtur mihi Christus fecisse, quod filius principis, qui videns equum refractarium indomitum ac ferum a patre jussu perdi, equi amans rogat patrem ut ei parcat et sibi eum donet, curaturum se ut eum utilem et domitum reddat. Sic Alexander Magnus a patre petiit Bucephalum jam perdi et abjici a patre jussu, quem ipse postea mansuetum et optimum fecit: ut scribit Quintus Curtius I. I. ita ut qui prius tangi se non patiebatur, postea sponte in genua subsidens Alexandrum sessorum reciperet, ut ib. lib. VI. Tales equi nos eramus rebelles et refractarii, ideoque abjici a Deo jussi. Sed Filius amore nostri ductus, vitam nobis obtinuit propriaque industria nos elaborare voluit, sperans nos futuros honos.

Quid ergo tibi, Domine, pro hoc beneficio rependemus? Quid aliud a nobis petis, nisi ut instar Bucephali illius in genua cadamus per penitentiam et confessionem, teque sessorum per gratiam recipiamus? Revertamur ergo a cruce percutientes pectora nostra: deploramus scelera nostra, et suscipiamus jugum Domini, etc.

SECUNDA PARS.

IV. Quid patitur? Omnis generis injurias, primo, in omnibus bonis: 1. In amicis. 2. In facultatibus. 3. In fama. 4. In anima. 5. In corpore. Secundo, in omnibus sensibus. Tertio, in omnibus membris. — V. A quibus patitur? 1. A creaturis suis. 2. a propinquis suis. 3. A sævissimis hostibus. — VI. Quomodo patitur? 1. Patientissime. 2. Sponte. 3. Maximo cum amore.

THEMA.

O vos omnes, qui transitis per viam attendite quæso; et videte. Threnor. 1.

Quando miles aliquis strenuus de cruento prælio revertitur multis vulneribus confossus, sanguine perfusus hoste superato: nemo tunc non est, qui non vehementer gestiat contemplari illum, et loquentem audire, quale fuerit prælium, quid in eo sustinuerit vel præstiterit, a quibus ita sauciatus, quomodo pugnarit. Dominus noster Christus hodie de gravissimo prælio venit, totus vulneratus et sanguine perfusus,

victor tamen gloriosus. Merito igitur interrogamus, quid pertulerit, a quibus ita tractatus, quomodo pugnarit. Sic enim mirantur et interrogant angeli, Isa. LXIII. *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?*

IV. Quid patitur. Omnis generis injurias. Et primo in omnibus bonis. In amicis, quia matrem cruci adstantem vidit non sine maximo sui dolore. In discipulis, quorum alius eum prodidit, et suspensus periit: alius negavit, alii dereliquerunt et dispersi sunt. In aliis notis et amicis, qui a longe stabant, nec in minimo ei atrocitabantur aut eum confiteri audebant. Secundo, in facultate, dum vestibis suis spoliatur: dum pro iis luditur ipso aspiciente. Tertio, in existimatione, dum ligatur instar rei, et toties per compita publice raptatur, dum probris et calumniis oneratur, dum, in festo solemniori, loci celeberrimo, morte turpissima medius inter latrones, quasi deterior illis, crucifigitur. Hinc enim factum ut prætereuntes etiam viatores ei maledicerent. Non enim dubitabant hominem e tam infami ligno pendulum esse patriæ hostem et malefactorem pessimum. Quarto, in anima per tristitiam, dum tormenta sua prævidit, et plurimorum interim ingratitudinem, dum virulenta Judæorum pectora intime perspexit, dum cum morte conflictatus est et corpus sauciū, dilectum, spirituique obedientissimum deserere coactus. Quinto, in corpore, catenas, funes, alapas, sputa, flagella, spinas, pondus crucis, clavos.

Secundo, in omnibus sensibus. Oculi videbant inimicorum plausus, cachinnos, irrisiones, scurrilitates, matris et aliorum amicorum lacrymas et singultus, populi spectantis frequentiam, suam nuditatem, confusionem, crucem, cruoris defluxum. Aures audierunt ingentes in Deum blasphemias, injurias, falsa testimonia et figmenta maligna, ingratos et truculentissimos illos quasi leonum rugitus: *Tolle, tolle, crucifige, crucifige, sanguis ejus super nos et super filios nostros.* Item: *Si Filius Dei est, descendat nunc de cruce.* Quomodo enim potuit non vehementer dolere, qui poterat descendere et illos perdere? Continuit se tamen. Similiter vox illa Judæ fecte salutantis: *Ave Rabbi,* graviter ejus aures vulnerare debuit. Nares passæ sunt fetorem sputorum et cadaverum in monte Calvariae. Gustus maxima siti vexatus, fellis et aceti acrimonia cruciatus, ita ut remedium sitis graviorem afferret dolorem. Tactus vero per funium constrictiones, flagella, spinas, clavos affligebatur.

Tertio, in omnibus corporis partibus et membris. Caput spinis redimitum et arundine per-

cassam fuit, capilli et barba evulsa, facies cum ludibrio velata, genæ alapis deformata, brachia laxata ita ut ossa dinumerari possent, manus ligatæ funibus et clavis perforatæ, uti et pedes, dorsum cruce onustum, corpus totum flagellis concisum a planta pedis usque ad verticem.

V. A quibus patitur. Primo, a creaturis et servis suis, quæ anti, quanti sunt omnibus modis ei obligati sunt. Hi enim servi illi sunt, quibus vineam suam locavit celestis paterfamilias, Matth. XXI. qui postquam multos eiecissent prophetas et occidissent, novissime etiam filium patris familiaris ejecerunt et occiderunt dicentes: *Hic est hæres; venite occidamus eum, et habebimus hæreditatem ejus.* Quam parabolam cum enarrasset principibus et senioribus Dominus, quærebant ex eis: *Cum ergo venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? Aiunt illi: Malos male perdet, et vineam suam locabit aliis agricolis.* Quibus verbis facinoris enormitatem testati sunt et ore suo se condemnarunt. Quid enim indignius et acerbius, quam subjeci suis subditis, et mancipium fieri mancipii sui? Experire sis, in canibus, utrum in dominos suos stimulari se patientur. Tametsi enim canem de procul in dominum currere facias, mox tamen, ubi ad dominum suum pervenerit eumque agnoverit, vellum dimittit et blanditur ei. *Cognovit bos possessorem suum,* ait Isaias, cap. I. *et asinus præsepe domini sui: Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit.* Quid dico? Elementa sensu carentia creatorem agnoverunt et vim sibi inferri testata sunt, quod ad creatoris sui perniciem et exitium perfidis Judæis servire debuerint. Cum enim lapidea columna abuterentur ad communis sui creatoris flagellationem, terra ad crucis infixionem, solis lumine ad crucifixionem, idcirco petreæ scissæ sunt, terra mota, sol obscuratus. Sed quomodo vos creaturæ tandem connivere, tandem contra vestrum creatorem servire potuistis? Quomodo vos flagella sulcare ejus dorsum? Quomodo vos spinæ terere ejus caput? Quomodo vos clavi penetrare ejus manus? Quomodo tu crux premere ejus humeros et tam rigide extendere ejus brachia potuisti? *Flecte ramos arbor alta, tensa laxa viscera et rigor lentescat ille quem dedit nativitas, ut superni membra regis mihi tendas stipite.* Sed pergamus.

Secundo, a propinquis suis, quibus præ omnibus nationibus plurimum benefecerat et a quibus merito omnem benevolentiam expectare poterat. Erat enim gens Judæa semper populus ejus electus et peculiaris, quem tot prodigiis exaltaverat, contra hostes defenderat, in regna eorum induxerat, lacte et mellefluentia. Voluit præterea de eorum stirpe nasci adeoque frater illorum

fieri. Denique quamdiu cum illis vixit, innumera eis beneficia contulit, ut supra audivimus. Quin etiam propter hæc omnia videbantur ipsi amici esse Judæi. Modo enim rapere eum et regem facere volebant; modo prophetam magnum dicebant et aliis honorificis extollebant titulis, modo ad se invitabant et audire gestiebant, modo etiam ejus aspectu recreari gaudebant, si tristitia aliqua afficerentur, ut scribit S. Birgitta in revelat. Nuperrimè etiam ante quinque dies eum regem salutabant et velut triumphantem maxima cum pompa in Jerusalem introducebant. Quis non existimaret Christo esse amicissimos et pro ipso pugnare imò mori paratissimos? Sed heu! res longe aliter habuit. Hostes enim invenit, non fratres. Proh indignum facinus! Quis enim nescit ab amicis sperari amica omnia et nihil minus quam hostilia? Evenit Christo Domino, quemadmodum et Joseph, qui Christi typus erat. Mittebatur ille a patre ad fratres suos pascentes pecora ut videret si cuncta prospera essent erga fratres suos et pecora, dumque in agro erraret obvium cuidam se interroganti, quid quæreret, respondit: *Fratres meos quæro: indica mihi ubi pascant greges,* Gen. XXXVII. Nihil enim adversi metuerat a fratribus: sed o Joseph, hostes reperies, quos tu fratres existimas; a fratribus capieris et venundaberis. Cum enim adhuc procul viderent eum ad se venientem fratres, dixerunt: *Ecce somniator venit, venite occidamus eum et mittamus in cisternam veterem.* Si hoc vaticinatus esset Joseph obvius ille vir, quid dixisset, quæso Joseph? Itane fieri potest, dixisset, ut hoc faciant mihi fratres mei? Absit: *Fratres meos quæro,* fratres utique inventuros, non hostes. Et quidni etiam Christus fratres et amicissimos quærebat, cum a celesti Patre mitteretur ad Judæos; siquidem ipsi præ omnibus nationibus a Deo dilecti et exaltati erant? Sic enim Chananeæ gentili respondet Dominus Matth. XV. *Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel.* Sed pro ovibus invenit lupos et leones: *Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in silva,* inquit per Jerem. capite XII. *dedit contra me vocem.* Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetam et lapidas eum qui ad te missus est: quoties ille voluit congregare pullos tuos sub alas et noluit? Expandit alas suas, quando morbos tuos curavit; expandit alas, quando docuit; expandit quando peccatores recepit; expandit nunc in cruce, cum te ad gratiam invitavit et Patri suo reconciliavit; et noluit? Et præterea ei insultasti? *Ingrata patria, non habebis ossa mea,* dicebat Scipio Africanus Romæ post tot victorias sibi ingrata, prohibens uxori, ne ibi sepeliretur.

Tertio, a sævissimis hostibus, quod facile demonstratur ex multis, ex eo quod tam abruptim præcipitarunt ejus condemnationem, vix duodecim horas a comprehensione expectantes; ex eo quod non convictum, sed tacentem tantum condemnarunt sine debito juris processu; ex eo quod falsos testes, licet ejectos, nulla affecerunt pœna; ex eo quod populum instigarunt ut peterent Barabbam, Jesum vero perderent; ex eo quod Pilato volenti eum dimittere, obstiterunt; ex eo, quod sine commiseratione, cum ludibriis et opprobriis lentam ei mortem intulerunt. Nulla esse videtur gens tam crudelis et barbara, quæ non trium saltem dierum tempus reo concedat ad sui defensionem, quæ non aliquem juris processum, rationi et naturæ debitum adhibeat, non puniat falsos testes, non aliqua commiseratione in reum animadvertat. Judices inviti sententiam capitis pronuntiant, populus cum commiseratione et sæpe cum lacrymis audit, carnifices ipsi solantur et animant; tantum abest ut calumnientur: accusatores denique ipsi vitam miseris optant. Sed nihil horum expertus est Christus: contraria omnia, et non tam homines, quam immanes invenit belluas, quemadmodum vaticinatus est de se per Davidem Christus, Ps. XXI. *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me, aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens et rugiens.* Et paulo post: *Circumdederunt me canes multi.* Vituli erant perfidi Judæi, cum falsis clamoribus eum in multis accusabant: tauri cum cornibus crucis eum impetebant et clamabant, *Crucifige.* Leones cum morsibus flagrorum spinarum et clavorum impetebant: canes cum pendemem in cruce blasphemias et contumelias allatrabant. O furie infernales! Horremus illorum sævitiam, qui leonibus et pardis homines objecerunt; sed satius fuisset Christo et mitius supplicium objici leonibus, quam in prædam dari tam ferocibus Judæis, quia hos odium instigabat, illos natura instigat.

VI. Quomodo patitur? Primo, patientissime, calumniantibus enim et vexantibus se non est oblocutus, non respondit verbum, ita ut miraretur præses vehementer. Miraculum videtur, in causa criminali et capitali, causam suam non agere, contra tot tantasque injurias, non reclamare, non provocare. Vaticinatus est de Christo, Isaias, c. LIII. dicens: *Sicut agnus coram tondente se obmutescet;* sed nimis parum dixit Isaias, quia lana tantum admittitur oviculæ in tonsura, cui simul pellis abstraheretur et caro scinderetur, jam certe audiremus, balantem oviculam. Atqui Christus non modo obmutuit, cum ei vestes de-

traherentur et alæ subjicerentur, sed etiam cum honor, fama, caro, sanguis, vita adempta est. Tanta enim in tantis et tam diuturnis pœnis erat ejus patientia, ut ne verbo, gemitu aut singultu quidem questus sit, quasi non homo, sed truncus aut lapis esse videretur. Propterea non defuere hæretici, qui dixerunt Christum in phantastico solum corpore passum esse adeoque sine sensu. Sed non ita passus est Christus, non fuit truncus aut lapis, ut testatur illa vox: *Deus, Deus meus ut quid dereliquisti me?* Quæ tamen nullam indicat querimoniam aut impatientiam, sed protestationem veræ et acerbissimæ passionis, q. d. O Pater, fierine potest ut unigenitum Filium in hanc doloris abyssum venire permiseris? Celeberrima est in hoc genere virtutis patientia S. Job, quam ut vinceret diabolus, plurima tentavit, et primo quidem bonis temporibus eum exuit, deinde propria pelle et corporis sanitate, percutiendo eum ulcere pessimo a planta usque ad verticem; nihil tamen profecit: Job immotus fuit, sed pace tua Job, nulla aut exigua est patientia tua cum Christi virtute comparata. Nam imprimis tu facere debuisti ex necessitate virtutem, quia non poteras afflictiones tuas impedire: Christus potuisset et quidem unico verbo, modo voluisset. Deinde si in te armatus est dæmon unus, in Christum omnes armati sunt, quia metuebant sibi ab illo, ne forte Messias esset ac proinde regnum eorum dissiparet: ideoque omnia tentarunt ut vel unum impatientiæ signum aut verbulum, unum defensionis miraculum ab eo elicerent. Unde tertio, multo acriores machinas, tormenta et inventiones adhibuerunt, falsa objiciendo crimina, nova excogitando tormenta, sententiam mortis acerbissimam in eum pronuntiando. Et quam gravis fuit illa, putatis tentatio: *Si Filius Dei est, descendet nunc de cruce, et credimus ei?* Inde enim colligitur tantam fuisse ejus patientiam, ut Judæi ex ea scandalum arriperent: enimvero et Filius Dei erat et descendere poterat, nihil tamen motus est: *In vanum quæsierunt animam ejus.*

Secundo, sponte et ultro se offerendo. *Oblatus est, quia ipse voluit,* ait Isaias, cap. LIII. et cap. L. *Corpus meum dedi percutientibus et genas meas vellentibus, faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me.* Quibus verbis indicat se injurias istas sponte amplexum esse. Quemadmodum enim servo ultro volenti servire hero suo, dominus ad ostium domus suæ perforabat aurem: (Num. XXI.) ita Christus volens libens passus est a Patre cruci se affigi.

Equis vero eum cogere potuisset? Quis Filium

Dei altissimi tantis tormentis subjicere, si ipse noluisse? An judices, Pilatus et Cæsar? Sed poterat Dominus annuere tantum angelis, et adfuisse illi plusquam duodecim legiones. An cohors militum et ministri Judæorum? At illi audito unico ejus verbo: *Ego sum, abierunt retrorsum et ceciderunt in terram.* An diabolus? At illos Christus verbo eiciebat. An justitia Dei? At Christus *innocens erat, sanctus, impollutus, segregatus a peccatoribus, excelsior cælis et purior angelis.* Quid igitur Dei Filium comprehendit, ligavit, coronavit, crucifixit, occidit? Peccata nostra, quæ ipse in se suscepit ultro et sponte. *Spiritus oris nostri Christus Dominus,* inquit Jeremias, Thren. IV. *captus est in peccatis nostris.* Non potuissent funes ligare membra Christi, nisi strinxisset illos avaritia nostra. Non potuissent flagella quamvis plurima carnem ejus attrahere, nisi blasphemias nostræ acuisset illa. Non potuissent spinæ, licet acutissimæ perforare caput illud tremendum, nisi superbia nostra vires eis addidisset. Non potuissent clavi manus tam beneficas penetrare, nisi ira et odia nostra malleus fuissent. Non demum ausa fuisset ipsa mors accedere ad vitæ auctorem perimendum: nisi peccata nostra non fuissent, passio Domini non fuisset. Cæterum quia Christus ea voluntarie in se suscepit et sponte, non adscribit illis passionem suam, sed benevolentiam suæ, uti Joan. XIV. *Nemo tollit animam meam a me, sed ego pono eam.* Propterea ergo comprehensoribus suis obviavit, propterea coram Pilato pro defensione sua nihil dixit, miraculum nullum patravit, a sententia et iudicibus non appellavit, etc.

Tertio, maximo cum amore et affectu. Nemo nescit valde augeri beneficium quod cum amore datur, ut si pauperi des parum et dicas: Parum habeo et parum do; sed accipe hoc parum, quia si plus haberem, cum gaudio plus darem. Vel si dicas quod S. Petrus dixit claudo illi ad speciosam portam templi Jerosolymitani: *Argentum et aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do.* O quam placet talis elemosyna! E contra vero displicet, si torvo arpectu et duris verbis objurges accipientem. Qua igitur charitate, quo animo putatis Christum tam acerba pro nobis passum esse? Non potest hoc explicari et vix quidem cogitari; dicam tamen aliqua. Primo, tanta cum charitate ut omnia quæ potuit, fecerit et tolerarit et ad plura paratus fuerit, si plura potuisset: propterea enim crucem, licet importabilem sibi et quæ paulo post ab alio gestari debuit, in humeros suscepit, ut nobis testaretur se fecisse quidquid potuit, et paratum fuisse et jam ferre plus quam vires possent:

propterea post mortem lancea vulneratus, cum sanguine aquam fudit, ut ostenderet se totum sanguinem fudisse et plus fundere: sed quoniam plus non habebat, pro sanguine aquam dedisse. Itaque per hoc dicere nobis voluit: Filii charissimi, plus virium non est mihi ad portandam porro crucem: non superest de sanguine vel una mihi gutta: quod autem potui, feci: quod habui, vobis dedi. Unde si quinque millia flagellorum sustinuit, non deerat illi amor ad alia quinque millia ferenda; si septuaginta spinis in capite vulneratus, paratus adhuc erat pluribus vulnerari, si plures locum habuissent; si tres horas pependit in cruce incredibili cum dolore, non recusasset pendere triginta tres majori adhuc dolore; si in una maxilla alapam accepit, non dubitasset etiam alteram porrigere. Secundo, tanta cum charitate ut id quod tolerabat, libentissime toleraret et passionem suam majori alacritate offerret, quam nos acceptare possemus. Propterea passionem suam vocat calicem, et tormenta sua potum. Audi Davidem: *De torrente in via bibet quasi sitibundus viator,* Psalm. CIX. et Jeremiam, Thren. III. *Saturabitur opprobriis,* licet hæc difficillimæ essent digestionis et mortem allatura. Propterea Dominus desiderio desideravit passionem suam et coarctabatur donec perficeretur, Luc. XII. Idecirco eam prævenit in horto sanguineum sudorem fundens, antequam tortorem cerneret, quasi moræ impatiens. Tertio, tanta cum charitate, ut etiam pro uno tantum peccatore mori paratus fuisset: propterea enim apostolus dixit ad Gal. II. *Dilexit me et tradidit semetipsum pro me:* ita nimirum pro me solo, ac si pro omnibus. Propterea Dominus, Luc. XV. relictis nonaginta novem ovibus in deserto, id est, justis, requirit unam ovem perditam, id est, unicum peccatorem, ut exponit Theophyl. Salmeron. Barad. etc. siquidem sequitur: *Gaudium erit in celo super uno peccatore, quam super nonaginta novem justis.* Ergo ovis perdita significat unicum peccatorem, non totum humanum genus, et oves nonaginta novem justos, non angelos. Itaque si tanto cum amore tantum donum nobis offert, quid nos jam faciamus? Num difficiliores erimus ad accipiendum quam ille est ad dandum? Num adeo amantem non redamabimus? Quid retribuemus Domino pro omnibus, quæ retribuit nobis? Pete a nobis Domine, quia quidquid petieris, tibi debemus et dabimus. Et quid putatis quæso Dominum petiturum, nisi salutem nostram? Hanc enim ipse petiit, cum in cruce exclamavit: *Sitio.* Quid vero tunc sinitabat? Num aquam fontis putatis? At immediate